

14  
HAUSEN,  
S. ADEA.  
HAUSEN  
S. AULUS.  
Catum  
cuius omnes  
fit illum.  
vitas.  
6  
du adies;  
5  
erbit;  
9.  
cabit.  
genu Thuring  
**M· AEMILII POR·  
TI, FRANCISCI  
PORTICRETENSIS F.**

ORATIO,

Qua Amplissimo Heydelbergensis Academię  
Senatui pro publico linguaꝝ Grēcꝝ docendꝝ munere sibi  
benignissimè decreto, & honorificentissimè dela-  
to, gratias agit.



Εἴωθερ ρώμαλέοις τέλομεν, Θεὸς ὥπασεν ἄμυνι  
Γάρμην, εἰ κεχτεροί, δῶκε κεχτός, ὅμενα δόξαν  
Αἴξιον αὐτὸν ἔχων.

A. P.

HEIDELBERGÆ  
Typis Christophori Leonis

C I C I X C V L

VD 16  
Clarissimo, præstantissimoq; viro,  
**D. PETRO HEYMANNO,**

In celeberrima, ac peruetusta Heidelbergensi  
Academia

L. V. D.  
ET PROFESSORI  
ORDINARIO, CONSILI  
ARIO PALATINO,  
PRO TEMPORE ACADEMIÆ SAPIEN  
tissimo Rectori;  
D. AC PATRONO BENIGNISSIMO.

M. AEMILIVS POR  
TVS, FRANCISCI POR  
TIC RETENSIS F.

In eadem Academia ordinarius lingue græce Professor,  
Hochonoris, & obseruantię perpetuum mo  
numentum, ex animo vouet,  
dicat, offert.



Semper honor, nomenq; tuum, lande q; manebunt.

M. Ämilij Porti, Francisci Porti Cretensis F.  
oratio, qua Amplissimo Heydelbergensis  
Academiae Senatui pro publico linguae  
græce docendæ munere sibi benignissi-  
mè decreto, & honorificentissimè dela-  
to, gratias agit.

**V**Ideo, Magnifice D. Rector, Reuerendi S. S.  
Theologiarum Doctores, consultissimi legum Interpretes,  
ac Iuris Antistites, Medicæ Facultatis  
excellentissimi Doctores, Artium libera-  
lium eximij Professores, ceterique CL. V.  
V. & ornatissimi Auditores, Video, inquam,  
omnium vestrum orain me conuersa, & oculorum aciem alto  
cum silentio coniectam.

Quare cum mearum virium imbecillitas, ingenijque tenuitas  
mihi probè sit perspecta, non mediocriter cominoucor.

Quis enim in dicendo tam exercitatus, quis adeò confidens  
inueniatur, quin saltem in suæ dictiōnis initio repētinam cordis  
palpitationem, corporisque totius leuem agitationem sentiat, si  
non apud turbæ militaris imperitum vulgus, nec apud indoctam  
abiecta plebis concionem: sed apud viros solida vera nobilitatis  
laude præstantissimos, omnibusque sapientiæ donis clarissimos,  
orationem sibi de rebus non contempnendis habendam sciat?

An igitur Demosthenes, an Cicero, alter quidem Latinæ, alter  
vero Græcae Eloquētiæ parens, ad popularem multitudinem  
verbâ facturi, profanum fugestum metu vacillantes, non raro  
confunderint, Portus in hunc Musis, Phœboque sacratum lo-  
cum gladiatoriæ fiduciæ, vel potius confidētiæ plenus nunc pri-  
mum prodierit, ut Amplissimo Academico Senatui, pro publico  
linguae græce docendæ munere sibi benignissimè decreto, & ho-  
norificantissimè delato, gratias ageret, idque vobis præsentibus,  
ac audientibus, ad quos ex remotissimis terrarum partibus quo-  
tidie

" Turpe, diu mansisse, domum vacuumque redisse.

Videtis quanta sit humanæ vitæ breuitas, quanta liberalium artium longitudo, quanta temporis velocitas, quantum experientiæ periculum, quanta recti judicij difficultas. Videtis quām fluxa, quām caduca sint omnia, quæ cæca gens mortalium bona vocare consuevit. O bonorum infelicem felicitatem, quam inconstantiæ leuitas tyrannicè gubernat, quam insidiosa miseria rum agmina perpetuò circumstant! Quid igitur? Hæc ne prorsus aspernanda? Minimè gentium. Sed alia his longè meliora dico querenda potissimum quæ nec aeris inclementiæ, nec incendiorum nec aquarum iniurijs sunt obnoxia, quibus neque fures occulte, neque prædones aperta vi dominum priuant, quæ sola nullas seculorum mutationes formidant, quæ nostrum nomen in cœlum ex humili terrarum mole tollunt, ac immortale reddunt. Horum alterum est pietas, alterum, scientia.

Sed in literarum monumentis, atque thesauris vtrumque latet. Quisquis igitur commodis, honori, salutiique suæ prudenter consulit, is in eam præcipuam curam dies, & noctes incumbit, vt ( si modò possit. nec enim omnes omnia possunt ) vtrunque, vel alterum saltem sibi comparet. Idcirco boni Reges, bonique Principes, ac Magistratus, qui salutis, ac utilitatis publicationem habent, in suis ditionibus literarios ludos instituunt, Academias fundant, & præstantissimos quoisque doctores ad se maximis præmijs alliciunt, ac inuitant. Hac ipsa de causa Sere-nissimus, & Clementissimus noster Princeps, verus Patriæ Pater, hanc inclytam Academiam. & tot publica Collegia Pietati, Sapientiæque consecrata, Maiorum suorum vestigijs insistens, pie, sapienterque conseruat, quotidiana munificentia riuis copiose rigat, benefica sui fauoris aura mulcet, radiatæ Celsitudinis temperato calore fouet, alit, auget, lætitificat, ac nouis ornamenti semper exornat. O singulares, & nunquam pro dignitate satis laudatas Clementissimi Principis, ac Herois tanti virtutes! O nitidissimum paternæ charitatis, christianæ religionis, & orthodoxæ fidej speculum! Hoc nouissimum antiquissimæ sanctitatis exemplar cæteri Germaniæ Principes intuentur, ac  
admi-

tidie concurrunt, qui S. S. Theologiæ, qui Iuris prudentiæ, qui Medicinæ, qui Philosophiæ sacris nō solūm initiari: sed etiā tutis auspicijs, ductuq; felititer ad suūmum præclarissimarum scientiarum fastigium, decusq; maxima cum gloria peruenire cupiunt? Nullus profecto, nullus, qui sana mente fuerit, hoc sibi persuaserit. Detur aliiquid ingenuitati, detur aliiquid verecundiæ, cuius semper studiosissimus fui, nec in vitij loco ponatur, quod æquissimi rerum æstimatores virtuti tribuendum censem. In his vrborum certaminibus iniucundam nimiæ timiditatis, quam nimiæ temeritatis, ac impudentis audaciæ culpam sustinere præstat.

Quanquam vestra singularis, & incredibilis humanitas, quæ dicentis egregiam voluntatem, mentemque beneficiorum acceptorum memorem, & gratam, non autem inanem orationis elegantiam, & ornatum spectat, dissipatas, & propemodum amissas vires mihi sensim restituere; leniter instaurare, quin etiam augere iam videtur. At vnde iustum, debitamque gratiarum actionem ordiar? Quid primum? Quid secundum? Quid postrem dicam? Incertus pendet animus, hæret oratio, nec quod me vertam, facile video. Tantum enim est beneficium illud, quod Amplissimus Academicus Senatus, quodam paternæ charitatis impulsu nuper in me contulit, tantus est honor, quo me præter omnem expectationem, sua sponte cumulauit, a humaniter ornauit, tantus consensus, & alacritas, quam in publico lingua græce docendæ munere mihi cunctis suffragijs decernendo, & deferendo, cum singuli, tum vniuersi manifestè demonstrarunt, vt tot, ac tantorum erga me meritorum magnitudinem, atque dignitatem verbis exprimere nequeam, multo minus factis æquare valeam.

In me tamen eloquentiam, quam animi grati constantem memoriam desiderari malo. Quamobrem, quod solum à me præstari potest, id alacerrime præstaboo, gratiasque, quantas maximas possum, nunc agam, & immortales habebo cunctis, qui suo fauore & benevolentia, tanquam validissimis remis, velisque plenissimis nauem grauissimis tempestatum fluctibus diu iactatam, ad optatum tranquillioris vita portum, prospero numeris

nis diuini statu, tandem deduxerunt. Vtinam autem, vtinam oratoria facultatis eam peritiam esse adeptus, quæ meis votis responderet, vestrisque meritis abundè satisfaceret. Sed Magnifice D. R. vosque Senatores Amplissimi, ( quod cum vestra bona venia dicetur ) ingenuus ille pudor, animique generositas, quam diuinitus hausistis, non patitur, vt coram vobis ea commemorem, quæ veritas ipsa beneficiorum tūm publicè, tūm priuatim mihi liberalissimè datorum conscia dictaret.

Hæc enim vestræ pictatis, hæc officiorum, hæc virtutis commemoratio nostram orationē in aliquam turpis assentationis suspicionem vocaret. Absit autem, absit, vt opinionem ab optimis, præstantissimisque viris de me conceptam, hac importuna ratione fallam. Quid enim opus est laudationibus, quid opus est præconijs, vt illorum nomen illustretur, quorum cælestis virtus proprio fulgore tot mortalium nationes illustrat? Vos testor, vos Illustres, ac Generosi Viri testor, quotquot ex ultimis Anglia, Polonia, Daniæ, Austria, Bohemia, aliarumque regionum finibus in hunc Heliconem non sine magnis laboribus, ac impensis cupidissimè venistis, vt veridicas Apollinis nostri voces audiatis, vt certa salutiferi mysterij responsa referatis, vt dulcissimis nostrarum Musarum, & Gratiarum colloquijs liberrimè fruamini, facundissimos, ac amænissimos eorum hortos arbitratu vestro lustretis, narcissum, violas, hyacinthum, rosas, & quicquid florum est venustiorum, atque suauiorum decerpatis, horumque fertis ambrosium odorem spirantibus coronati, purissimos Virtutis, ac Sapientiæ fontes adeatis, & ardentem illam discendi flammam, scientiæque sitim nectarejs liquoribus restinguatis. Vtigitur ( Auditores ornatissimi ) rem paucis complectar, in hoc frequentissimo summorum Virorum conuentu palam, & clara voce profiteri non dubitabo, me tot, tantisque beneficijs ab Ampliss. Academico Senatu cumulatum, ac ornatum, vt ipsius Amplitudini, ac dignitati semper addictus, semper deditus, obstrictusq; sim futurus, & beneficentie non vulgaris memoriam in intimo pectoris gratj recessu constanter seruatus, & quandiu viuam, hæc apud omnes sincere prædicaturus. Quamvis autem optimè norim qualis, quantusque sit vir ille in cuius locu ex ampliss. Senat° Academici decreto, fauente Deo, sum

admirantur, summoque Regum Regi gratias agunt maximas, quod Sacrum Imperium Romanum nunc eo donarit Electore, cuius florentissima juuentus accensam venerandæ grauitatis, temperantiæ, fortitudinis, justitiæ, regiæ liberalitatis, & magnificentiæ facem omnibus mortalibus heroicè præfert. Cum igitur indolis optimæ, summæque spei Iuuenes, diuinæ Clementiæ prouidentia, tantiæque Principis beneficentia, studioque factum sit, ut nihil corum, quæ bonarum literarum studia promouere possunt, vobis in hoc Helicone desit, ne laboris metu, fugaque vobis ipsi desitis, mature caueatis. Vos locus ipse, vos presens rerum status, vos miserrima temporum asperrimorum conditio vestri monet officij.

Neq; verò me latet quod trito fertur adagio, „χαλεπὰ τακαλά.  
” Sed præclara Deus posuit sudore paranda.

Virtus radices quidem amaras habet: at fructus mira dulcedine refertos parit. Nihil autem tam arduum, quin assiduo labore superetur, præcipue si precibus supplicibus, fide non fluctuante, diuinum auxilium impetremus. Quicquid enim celesti præsidio nudati confidere conamus, id vel irrito conatu suscipimus, atque tentamus, vel eius infelicem exitum experimur.

Vt igitur, honestissimi Iuuenes, ex animi sententia rem geratis, illorū, quibus in disciplinam traditi fuistis, rectas admonitiones audiatis, Deumque cunctorum bonorum auctorem, constanter oretis, ut clarissimo sui spiritus lumine densissimas naturalis ignorantie tenebras ex pectore disspellat, mentis oculos aperiat, ingenium, & aciem acuat, intelligentiam, sapientiamque largiat, neruos roburque suppeditet, quod omnia difficultatum, ac molestiarum impedimenta superet, ut Deo, Reisque publice fideleri inseruiatis, illisque gratias agatis, ac habeatis, quorum beneficio speratum vestri laboris, ac diligentie fructum perceperitis.

Verum, Auditores ornatissimi, ne vestrarum aurium patientia diutius abuti videar, finem dicendi faciam, ubi prius illud vnum addidero, me, fauente Deo, de sapientissimorum V. V. consilio, Demosthenis orationem ἀεὶ σεφάρου, siue ἡσερ Κτησιφῶντος & Sophoclis Oedipum Tyrannum explicare statuisse.

Ac

Ac Demosthenem quidem, Lunę, & Martis, Sophoclem verò, Iouis, & Veneris diebus. Diem autē, qua post peractas ferias, Deo iuante, meum munus aggrediar; publico scripto, græcarū prælectionum auditoribus denunciabo, vt ad dictam diem omnes in locum græcæ militiæ destinatum, armis ad eam necessarijs instruti conueniant. Interea verò, Magnifice D. R. cæterique Amplissimi, Nobilissimi, ac ornatissimi V. V. quotquot huc uenire non estis grauati, quod meæ dictiōnis exilitatem auribus, & animis æquis audire, meque vestra iucundissima præsentia per humaniter ornare non recusaritis, vestræ singulari humanitati gratias ago quantas maximas possum, & immortales habeo, cum vniuersorum, tum singulorum Amplitudini, ac dignitati paratus inferuire, si quis integritatis, operę, fideique meæ periculum facere voluerit.

## D I X I.

Habita in auditorio Philosophico,  
die Mercurij XXIII. Martij, 1596.  
hora nona matutina.

*Magnifico V. D. Petro Heymanno Rectore.  
Spectabili V. D. Christmanno Decano.*



successurus, quamuis etiam nec ingenij, nec doctrinæ præstantia cum illo sim cōferendus, cui Αἰχέρι τοὺς λόγους δημοσθενεῖς id nomen quod habet, haud fortuitò videtur impositum, sic tamen in obeundo munere, quod Amplissimus Academicus Senatus mihi commisit, ope diuina fretus me gerere conabor, vt nullus de pijs, & doctissime Iudicibus meam operam, fidem alacritatem, ac diligentiam vel hic, vel alibi sit damnaturus. Quamobrem honestissimi Iuuenes ad quos oratio mea se cōnuertit, si non solum in Philosophiæ: sed etiam in Eloquentiæ studijs maximos progressus breui facere cupitis, de Ciceronis sententia, atq; auctoritate, cum Græcis Latina sedulò coniungatis, nec per niciosis τῶν ἀμούσων, τῶν ἀπαγδετῶν, νοι μισελλήνων consilijs aures per iuuvenilem imprudentiam præbeatis. Non desunt enim non desunt multi qui, quòd animum à laboribus, Musisq; Græcis alienum habeant, has insolenter contemnunt, & alios ad idem faciendum impellunt, vt communis ignorantia, dedecorisque societas, in quam eos malitiose traxerint, priuati doloris acerbitas leniat, atque manifestas domesticæ fœditatis maculas obscureret. Sed si græcarum literarum iucunditatem, usus, commoda semel isti gustassent, si necessitatem, & excellentiam cognoscerent, si præclaris, & gloriose disciplinis, incultum, horridumque pectus excolere studerent, aliter profecto sentirent, ignavum, & inglorium vitæ genus tantopere non sectarentur, nec alios ad eandem ignauiam, ac intolerabilem honestissimarum, ac utilissimarum artium contemplationem adhortarentur. Hæc autem, indolis optimæ, speique summæ Iuuenes, à nobis nequaquam eo consilio dicuntur, vt aliqua negligentiæ labes felicibus vestrorum studiorum conatibus aspergatur: sed potius, vt strenue currentibus calcar admonitionis adhibeatur, quod pristinam diligentiam excitet, nouamque suscitet, vt in omni scholastico munere fungendo certatim ipsi vos ipsos vincatis, donec metam, quòd tanta corporis, animique contentione properatis, cursu nō intermisso leti contingatis, & perseverantia præmia victoribus decreta reporetis.

Nam, vt Poeta canit,

Αἰχέρον τοι δηρόντε μένεν, κενεόντε νέεσθ.

Tur-

87  
Rin

J X I G

Deo gratias dicitur propter  
assumptionem eius

ad te oportet ad eum et ad te oportet  
eum ad te oportet ad te oportet

